Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25878
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sacrilege conspirationis communionem perciperet. atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir ille deo deditus arriano episcopo venienti exprobravit ut debuit. eique a sua perfidia dignis increpationibus repulit. Item Innocentii capitulo vii.

Sacerdotes hereticorum a Christi honore non digni habentur.

Arrianos preterea ceterasque huiusmodi pestes. quia eorum laicos conversos ad dominum sub ymagine penitentie ac spiritus sancti sanctificatione per manus impositionem suscipimus. non videntur clerici eorum cum sacerdotii aut cuiuspiam dignitate misterii esse suscipiendi. Quo quibus solum baptisma ratum esse permittimus. quod utique in nomine patris et filii et spiritus sancti percipitur. nec spiritum sanctum eos de habere ex illo baptismate illisque misteriis accipere arbitramur. quoniam cum catholica fide eorum auctores discederent. perfectionem spiritus quam in baptismo acceperant amiserunt. Nec dare eis plenitudinem possunt. que maxime in ordinationibus operatur. qui propter impietatis sue perfidiam fidem domini perdiderunt. Propter quod fieri non potest. ut eorum prophanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur. quorum laicos imperfectos ut dixi ad sancti spiritus percipiendam gratiam cum penitentie ymagine recipimus. Item legitur qui tetigerit inmundum. inmundus erit. Quando ergo ei tribuetur quod mundicia ac puritas consuevit accipere. Et infra. Qui particeps factus est dampnati. quem honorem debeat accipere invenire non possum. § Cum ergo Innocentius solum baptisma hereticis ratum esse permittat. cum Gregorius sacrilegam vocet confectionem arrianorum. cum Cyprianus queque ab hereticis fiunt carnalia. inania et falsa iudicet. cum Ieronimus omnia que a beis offerunt contaminata in conspectu domini asserat. cum Leo extra ecclesiam nec rata sacerdotia nec vera sacrificia testetur. patet quod sacramenta ecclesiastica preter baptisma ut supra dictum est ab hereticis ministrari non possunt. Item obicitur illud Ieronimi ad Luciferianum. Qui in baptismo sanctus est ad altare peccator non erit.

Sicut Christus est qui baptizat. ita ipse est qui sanctificat.

Non oro te ut aut sacrificandi ei licentiam tribuas cuius baptisma approbas. aut reprobes eius baptisma. quem non putas sacerdotem esse. Neque enim fieri potest ut qui in baptismo sanctus est. sit ad altare peccator. § Sed hoc de peccatore tamen catholico non de heretico intelligendum est. qui quicquid cum fide pro officio suo facit. licet indignus. tamen divina gratia cooperante ratum esse creditur. alioquin si de hereticis dictum intelligitur. ipse sibi contrarius esset. cum dicat in Moyse. Sacri-